

ministris, non sunt eleemosynæ, sed exsolu-
tio debiti.

3. Digamia, quam vocant, hoc est, nuptia-
rum iteratio, in sacris literis non est prohi-
bita, idcirco licita.

4. Etiam ministris Ecclesiæ licet contra-
here matrimonia.

DISPUTATIO XV.
DE JUSTIFICATIONE.

THESIS I.

Ecclesia discernit justos ab injustis, non
lege operum, sed lege fidei, inquit Au-
gustinus.

2. Doctrina enim de Justificatione homi-
nis peccatoris coram Deo est Ecclesiæ pro-
pria: & est arx totius Christianismi.

3. Justitia Dei sine lege in Evāgelio revelatur.

4. *Evangelium* est divinus nuncius ad omnes
homines, de remissione peccatorum verā fi-
de in Christum impetranda.

5. Quod est diligenter & exquisitè distin-
guendum à lege.

6. Quando *Evangelium* dicitur prædicatio
pœnitentiæ & remissionis peccatorum: acci-
pitur in lata significatione pro summa totius
doctrinæ Christianæ

7. *Alia est justitia legis, alia Evangelii: respectu
autem Christi est eadem. Quod enim lex flagitat &
requirit, hoc Christus præstitit & exhibet.*